

omnis, si plenius hauriatur, suam habet philosophiam quæ disserit de *supremis* illius principiis ac rationibus; v. g. si theologus aliquis, ut mos est D. Thomæ, non tantum credenda et agenda decernit, verum etiam dogmatum et morum declarat rationem convenientiamque sive cum inclinationibus, sive cum necessitatibus nostræ mentis, *philosophiam religionis* instituit. — Si Bossuetius, historiæ fata enarrans, factorum causas affert, eademque alia cum aliis colligat, ex præteritis futurorum naturam auguratur, ostenditque terrenas res religioni famulari, aut regi a Deo juxta leges quasdam supremas, *historiæ philosophiam* tradit. — Si Aristoteles, postquam animi nostri potentias, propensiones ac sinus omnes explanavit, Rhetoricæ et Poeseos condidit leges, *philosophiam* edocet *litterarum*. Quod philosophiæ in eloquentiam beneficium his verbis declarat Tullius, eloquentiæ ille clarissimus magister: « Fateor me oratorem, si modo sim, aut quicumque sim, non ex rhetorum officinis, sed ex Academiæ spatiis extitisse. » (*Orator.*, n. 3) (1).

Omnibus his argumentis attentè perpensis, verum patet illud Tullii « *artium omnium procreaticem quamdam et quasi parentem eam quam φιλοσοφία Græci vocant, ab hominibus doctissimis judicari* ». (*De Oratore*, I, 3).

Diximus supra (*proæm.*, § 2) quænam specialia officia adimpleat philosophia erga Theologiam sacram.

At quoniam *corruptio optimi pessima*, quò altior et utilior est philosophia, si rectè instituatur, eò pejora secum trahit consectoria, si a vero aberraverit. Atque historiâ teste, errores ejus in cæteras quaslibet scientias funestiùs redundant.

Dixi reliquas scientias naturales; quia facilè vincitur a Theologiâ *sacrâ*. Hæc enim omnes scientias, vel speculativas, vel practicas longè superat eum principiorum certitudine, tum materiæ et finis nobilitate. (Cf. S. Th., 1^a, q. 1, a. 5, c).

(1) Et idem (n. 4): « Positum igitur sit in primis, sine philosophiâ non posse effici quem quærimus, eloquentem... Nam nec latius, nec copiosius de magnis variisque rebus sine philosophiâ potest quisquam dicere. »

LOGICA

PRÆVIÆ NOTIONES

§ I. — Logicæ natura.

10. Logica nomen habet ex græcâ voce, λογος, quæ idem sonat ac *sermo*, vel *ratio*, vel etiam *ratiocinium*.

Quoad *rem* spectata, cum D. Thomâ definiri potest: « *Scientia directiva ipsius actûs rationis, per quam scilicet homo in ipso actu rationis ordinatè, et faciliter, et sine errore procedat.* » (*In lib. I Poster.*, lect. 4).

Dicitur 1^o scientia; quia ex principiis certis certas et inter se colligatas conclusiones eruit et demonstrat; quales sunt, v. g., leges quas tradit circa definitiones, divisiones, propositiones, vel syllogismos conficiendos.

Dicitur 2^o directiva actûs rationis; unde ab omnibus aliis scientiis secernitur et proprium ejus objectum indicatur. Non enim, ut *Ethica*, dirigit voluntatem ad *bonum*, sed dirigit rationem ad *verum*; nec, ut *Metaphysica* aliæve scientiæ, tendit ad cognitionem alicujus entis *extra* mentem positi, sed tendit ad cognitionem actuum rationis, docetque *artem cognoscendi quælibet objecta* (1).

Dicitur 3^o per quam homo in ipso actu rationis ordinatè, et faciliter, et sine errore procedat; ut distinguatur Logica *artificialis*, de quâ nunc est sermo, a Logicâ vulgò *naturali*.

(1) Hinc infertur Logicam esse scientiam *docentem* simul ac *dirigentem*, seu ut veteres docebant, *utentem*. Prout docens, tradit regulas ad rectè ratiocinandum in quolibet genere, et prout utens, applicat eas regulas variis rebus scibilibus, seu scientiis, pro speciali ipsarum naturâ.

Omnes enim homines habent ex *naturâ* quamdam aptitudinem ad veritatem inveniendam aut demonstrandam. Quæ aptitudo vocatur logica *naturalis*. Ast illi homines pauciores et faciliores tantum veritates assequuntur, nec habent præcisam cognitionem legum suæ mentis, et facilius possunt vel ipsi errare, vel ab aliis in errorem induci. Quocirca Logicæ naturali artificialis Logica addenda est, cujus ope, homo clariùs agnoscat diversa media quibus ad veritatem pervenitur, aut falsum præcavetur, procedat ordinatiùs sicque veritates assequatur difficiliiores, simulque breviùs, faciliùs ac tutiùs.

Porrò ulterius quæritur an Logica sit ars vel scientia, et qualis scientia?

11. Assertio 1^a : *Logica non est propriè ars, sed scientia* (1).

Prob. 1^a pars ex ipsâ notione scientiæ et artis.

Scientia definiri solet *certa rei cognitio per causam*. Versatur circa universalialia et necessaria, et magis tendit ad theoriam quàm ad praxim.

1^o *Versatur circa universalialia*; singularia quippe et phænomena non sunt nisi *materia* scientiæ; quia, ut Aristoteles docet, « *omnis scientia ejus est quod aut semper, aut ut plurimum est.* » (*Met.*, VII, 2).

2^o *Versatur circa necessaria*; nam universale, quod est proprium illius objectum, necessitatis etiam notas induit, quatenus abstrahitur a loco et tempore, et, neglectis accidentibus vel proprietatibus contingentibus, spectat ad elementum commune et immutabile rerum, id est ad earum essentiam.

3^o *Magis tendit ad theoriam quàm ad praxim.* — Et ratio est quia per se ipsam non curat de *executione* alicujus operis, sed de *explicatione* rei. — Attamen ex ipsâ theoriâ sive cognitione rerum erui solent quædam *conclusiones* ad opus spectantes.

Ars autem contrariis notis gaudet; versatur enim circa materiam *particularem, contingentem, externam et directè ad actionem tendit*. Definiri potest *recta ratio alicujus operis ex-*

(1) Cf. opus nostrum *l'Idée du beau*, 2^o part., c. 4, § 1.

terni faciendi; v. g. architectura, sculptura, etc. (Cf. S. Th., 1^a 2^m, q. 57, a. 4, c).

Porrò Logica non habet notas artis, sed scientiæ. Enimvero non habet objectum externum, particulare aut contingens, sed internas, generales, necessarias leges rationis, prout ad verum comparatur; nec tendit ad aliquod opus efficiendum, sed ad *theoriam* cognitionis scientificè declarandam.

Ars quidem, si *latiùs* accipiatur, designare solet quidquid præ se fert aliquid operis, quodcumque sit opus. Porrò, ut ait D. Thomas, « in ipsis *speculabilibus* est aliquid per modum cujusdam operis, puta *constructio* syllogismi aut orationis congruæ » (1^a 2^m, q. 57, a. 3, ad 3). In eo *latiori* sensu, Logica continet aliquid operis, nempe complexionem *regularum* ad varios rationis actus rectè ordinandos ac regendos. Quo sensu accipienda est vox Tullii eam definientis *artem bene disserendi*.

12. Assertio 2^a : *Logica est scientia specialis et speculativa.*

Prob. 1^a pars, quia Logica specialem ac propriam habet materiam, videlicet theoriam cognitionis aut ratiocinationis, quam etiam propriâ methodo exhibet.

Id tamen habet *singulare* quòd spectari possit ut *introductio* generalis ad omnes scientias, utpote quæ definit cognitionis leges sicque, ut advertit D. Thomas « docet modum procedendi in *omnibus* scientiis ».

Prob. 2^a pars, quia *latiori* sensu practica vocari solet scientia quæ ad opus *qualemcumque* ordinem habet. Sub quo respectu, Logica dici posset practica, quatenus ad verum *dirigens*. Si tamen *pressiùs* loquamur, ea solùm practica vocanda est scientia, quæ vel spectat ad aliquod opus *externum* faciendum, vel dirigit voluntatem, quæ naturâ suâ ad praxim spectat; hinc Ethica scientia practica nuncupatur. — Sed neutro modo Logica practica est; tota enim sistit in definiendis legibus rationis et ratione ad verum regendâ. At ratio, ut omnes nôrunt, est facultas *speculativa*, ad solam cognitionem vel theoriam per se ordinata.

§ II. — Logicæ divisio.

13. Logica, ut diximus, est scientia dirigens rationem ad verum. Porrò ratio dirigi potest: 1° ad veritatem ignotam inveniendam; 2° ad veritatem demonstrandam; 3° ad tenendam methodum quâ veritas tutiùs ac faciliùs invenitur, aut demonstratur. Hinc tres Logicæ partes, quarum 1^a exponit diversa media seu criteria quibus veritas invenitur, et ideò vocari potest *Criteriologia*; 2^a tradit regulas ad veritatem demonstrandam, et dicitur a recentibus philosophis *Dialectica*; 3^a autem explicat methodi leges, ut veritas faciliùs inveniatur ac demonstretur, et nuncupatur *Methodologia*.

Porro 1° loco *Criteriologiam*, 2° *Dialecticam*, 3° *Methodologiam* tractabimus. Nam antequam tradantur regulæ sive demonstrationis, sive methodi, quærendum est an homo possit aliquid certò cognoscere, et quibusnam viis aut criteriis possit (1).

§ III. — Logicæ præstantia et utilitas.

14. 1° *Præstantia* Logicæ ex ejus objecti nobilitate oritur. Si enim hominum studio dignæ habendæ sunt leges hujus mundi adspectabilis, quantò digniores sunt leges intellectûs humani, qui inter varias animæ nostræ potentias primum locum tenet!

2° Magna etiam est Logicæ *utilitas* tum relativè ad cultum rationis, tum relativè ad cæteras scientias.

1. Humana ratio, ut clarè docet S. Thomas, non tantùm facultates animæ inferiores, verùm etiam se ipsam regere potest, ope reflexionis. Porrò si utile est facultates inferiores regere, quantò magis rationem, per quam omnia in homine reguntur! At Logica, et hæc quidem sola, dirigit hominem

(1) Sunt qui dialecticam 1° loco tractari mallent; id autem minùs ordini logico videtur consulere, et minùs aptari ingenio vel studio juvenum in Philosophiâ novitiorum. Attamen licet professori, si senserit esse opportunius, *Dialecticam* in scholâ primam docere.

« in actu rationis, » ut « in ipso actu rationis ordinatè et facilliter et sine errore procedat ». Per excellentiam igitur dicenda est « *rationalis scientia*, quæ non solùm rationalis est, ex hoc quòd est *secundùm* rationem, quod est omnibus artibus commune, sed etiam ex hoc quòd est *circa ipsum actum rationis*, sicut circa propriam materiam ».

2. Insuper a D. Thomâ vocatur « *ars artium*, quia in actu rationis nos dirigit, a quo omnes artes procedunt. » (In I *Poster.* lect. 1^a).

Istâ quippe arte directa ratio evadit firmior, acutior simul ac promptior sive indagandæ veritati, sive errori refellendo; discitque etiam operosas ratiocinationes conficere, sophismata detegere vel maximè latitantia, et leges methodi seu deductivæ, seu inductivæ in variis scientiis observandas.

§ IV. — Præcipua logicæ fata.

15. Aristoteles illius parens meritò habetur, quippe qui maximi momenti hanc partem quam dialecticam vocant, inchoaverit simulque perpolitam absolverit. Quidquid enim ad ideas, judicia, ratiocinationem attingit, primus inquisivit ac definivit et syllogismi regulas, figuras, necnon modos explanavit quàm accuratissimè. Itaque dici solet humano intellectui suas leges posuisse. — Nec omisit inductionem, cujus naturam et condiciones rectè definivit et cum syllogismo relationes sedulò notavit (1).

Post Baconem qui multam operam in methodum contulit, cujus tamen parentem sese falso existimavit (1), addita est Logicæ *Methodologia*, sive methodus ad verum investigandum.

Demum, postquam Cartesius de omnibus dubitandum, aliquo saltem tempore, duxisset, et multa egisset de certitudinis fundamento, acriùs agitari cœpit quæstio de certitudine cognitionis humanæ, sicque enata est ea Logicæ pars quam

(1) Cf. Gratry, *Log.*, p. 16 et ss.; Barthélemy Saint-Hilaire, *Log. d'Arist.* préf. p. 117.

Criteriologiam vocavimus. — Quanquam apud Aristotelem multa inveniuntur de vi potentiæ animæ, maximè cùm de scepticis et sophistis agit, contra eos vindicat certitudinem et varias eorum objectiones refellit. — Tribus igitur jure partibus hodie constat Logica.

Grandia autem ac subtilia Kantii et Hegelii studia potius ad eversionem quàm ad instaurationem Logicæ fecerunt; quippe Kantius *subjectivismum*, Hegel autem identitatem contrariorum propugnavit.

LOGICÆ PRIMA PARS
DE VERITATIS INVENTIONE
SIVE
CRITERIOLOGIA

Criteriologiæ objectum et divisio.

16. 1° Criteriologia idem sibi vult ac sermo de criteriis. Porrò vox criterium designat varia *instrumenta* quibus utimur ad certitudinem acquirendam, seu ad inveniendam veritatem, simul ac *signum* quo veritas ab errore ultimò discernitur.

Quamobrem criteriologia tota in eo est ut naturam ac vim certitudinis declaret, diversa criteria expendat et ostendat legitima, eaque ad commune fundamentum revocare conetur ac demum vindicet a scepticorum objectionibus.

2° Hinc sequitur criteriologiæ *divisio* in quatuor capita; quorum 1^{um} notiones generales exponet de veritate, de certitudine, necnon de evidentiâ; 2^{um} de variis criteriis sigillatim disseret; 3^{um} de reductione variorum criteriorum ad criterium unicum; et 4^{um} de scepticismo, qui certitudini opponitur.
